

1509^{*} prioribus dominis adversarios præbeant, a multis habita est aliquanto acerbior, & ab hujusmodi temporibus aliena: nanque multi ejus supplicii exemplo fortasse perterriti, ad reipublicæ nomen, atque ad deditionem effecti sunt duriores. Joannes Franciscus Mussatius item Patavinus eadem lege decemvirum condemnatus est, ut in Creta insula, quoad viveret, exularet: qui tamen quadriennio post ab exilio revocatus est, patriæque redditus. Angelus cum ad eum vicum, quod abest Ferrara quinque millia passuum, ad quem naves, quæ a vadis Venetis veniunt, appellantur, superato flumine classem adduxisset, hostes magna cum manu obviam progressi duas ab aggeribus triremes, quarum erat una, qua ipse vehebatur, tormentis perforaverunt, remigesque aliquot interfecerunt: qua necessitate adductus præfectus, quod hostibus noceri prope non poterat (nam ripæ agger ad fluminis incrementa antiquitus institutus eos tuebatur, ne vulnerari e navibus sagittarum aut fistularum & tormentorum jactu possent) ad vicum Poleseliam in ea Padi ripa situm, quæ Rhodigium spectat, rediens, munitionem in altera fluminis ripa celeriter excitavit, qua hostes, si adventarent, repellerentur, neu classi nocerent. Vix effecta munitione, hostes, ut eam caperent, se non semel circumfuderunt. Postremo eam firmiter copiis adorti, cum prope in aggere munitionis versarentur, Hercules Cantelmus, Sigismundi Neapolitani claro loco nati filius, magnæ spei adolescens, cum se audacissime in propugnantes incitavisset, equi lapsu humi fusus a remigibus interfectus est. cujus in oculis amicæ manu scriptæ sunt repertæ literæ, quibus illa multis precibus ab adolescente petebat, ne cum Venetis prælio contenderet. Eoque die Gradonicus legatus ab exercitu cum equitibus & militibus octingentis, Senatus jussu classi auxilio ad alteram fluminis se ripam contulit.

*Trivisani
res gestæ in
agro Ferrar
ienſi.*

*Cividale
Carnicum,
Feltria arx
& Scala a
Venetis re
cipiuntur.*

Cividale interim Carnicum in Alpibus, Feltriæque arx, dein Scala municipium natura & artificio communitum, itineri, quo Germania magnopere aditur, adjacens, a reipublicæ copiis est capta. Erant in ejus arce mili-